

coll
legal history
25951

IACOBI GRASSERI DE ANTIQVITATIBVS NEMAVSENSIBVS DISSERTATIO.





PRÆFATIO AD LECTOREM.



Dideram itinerum per Gallias & loca finitima ductrices chartas, cùm denuo, idq́; superioribus septimanis, ad amicos in Arecomicis reuersus obiurgarer, quòd in istorum locorum Antiquitatis monimentis recensendis iusto breuior, nec peregrinantibus satis ex voto conducibilis fuissem. Ea monitio mouit me vt viri clarißimi, amici à multis annis, dissertationem de Nemausi Antiquitatibus, bona ipsius, spero, pace, addendam, & quia haut paullo meis pa-

gellis accuratior, iis præfigendam putârim. In qua indubiè erit, quod illorum qui ſepticollem illam & Romæ olim æmulam vrbem, Volcarúmque Arecomicorum ocellum luſtratum acceſſuri ſunt, in priſcum eius ſplendorem oculos reflectat, & animum iucunda voluptate perfundat.

Iuxta hanc nouam pagellarum mearum acceſsionem animus etiam erat notare ea in quibus halucinatus fueram, ſed & tempore nunc excluſus non poſsum, & ſpes eſt vt fiat in iterata, eâque à me nec aliјs profecta editione. Ne tamen nullum peccatorum meorum propâlem vide quàm deceptus fuerim, quum Iſaræ cum Rhodano confluentiam ad Liueronem poſui, pag. 264. cùm Droma iſthic, Iſara verò paullo plus leucam

ſupra

ſupra Valentiã Rhodano ſe miſceat; quũ Petro Antipapæ tribui, pag. 251. tribuendum B. Petro de Luxembourg: quum in enumeratione Parlamentorum Diuionenſe, Aquenſe & Rhotomagenſe omiſi: numero tamen perfecto paullo antè poſito: & quæ huiuſmodi haut pauca deprehenſa ſunt alia. Ad quæ oculos intendere debebant alienorum laborum ſublectores, qui à non vigiliis ſolùm ſed & ſumptibus meis ad hoc impulſi profectam editionem, vix paucis viſam, neſcio quàm honeſto exemplo in necem meam iterârunt, eò vſque impudentiæ eniſi, vt non fuerint veriti legem (quamquã valde imprudenti aſtutia, & conditionibus in meram meam voluntatem coniectis) præſcribere de ſecunda edi-

tione. Docuerunt se probè imbibisse Iuuenalis illud:

Vnde habeas quærit nemo, ſed oportet habere.

Et, dum licere hoc ſibi ingeminant, obliuioni voluntariæ mãdaſſe tritam iuris regulã, Nõomne, quod licet, honeſtũ eſſe. *Ergo à Principe amuleta & impetranda & appendenda ſunt tam leuibus & breuibus: & ne in minimis quidem, in quibus tamen publicæ velificamur vtilitati, ab his vulturibus ſecuro cui eſſe licet? Exſtirpata quidem, vt hoc etiam moneam, videas, menda, quæ in calce meæ, difficili labòre ex MSto transſumptæ, editionis notaueram: ſed & haut pauca turpiora inuecta. Hoc præcipuè me mordet, quòd fuêre qui non citra ludibrium iacerent, in catalogo*

montium

montium Galliæ, me de Tarara ex aliorum chartis transcripsisse, & turpiter mihi arrogare quòd transierim nobilem hunc montem. Quo argumento? Nempe quòd ne de vero nomine eius mihi constet, & Tartara *à me appelletur? Sed illorum non mea editio hoc vocabuli genuit, & ad primum adspectum in officinis obambulanti velut gemmam ostentat: & ego aliquoties cum illustribus & generosis peregrinatoribus pede, equo, curru latus, istum montem superaui. Alia ipsorum tangere nolo, quæ plurima sunt. Purgent ipsi Augiæ stabulum suum: nec hoc vrbanitatis sperent ab illo, quem rusticatim inuolarunt.*

Tibi verò, Lector beniuole, propediem emaculatam promitto editio-

nem, multísque itineribus auctiorē: nec à mea solùm, sed & amicorum, quos per Gallias sesquilustro hoc comparaui, manu profectam: & cui vnus atque alter Princeps, quod spero, saluum aduersus latrocinantes, per ditiones suas indulgebit conductum. Bene vale.

IACOBI



IACOBI GRASSERI

DE ANTIQVITATIBVS NEMAVSENSIBVS

Dissertatio.



Iligentiùs Romanam illam maiestatem consideraturi, demisso animo nostri seculi miserebimur, & tanquam degeneres humi repentes,nec non adhuc victricium armorum tonitruis perterriti, ad illustria illa Trophæa vix oculos nostros vlua & alga inumbrati attollere audemus.Surgunt quidem nonnulli hoc æuo animi, qui cælestibus vegetati spiritibus cum immortalitate tanta cum generositate certant,

Vt vix humana videātur stirpe creati.

Sed nescio tamen quid Heroici

natura prioribus indiderit, vt non solummodo eorum, dum inter viuos agerent, dexteritas, sed & postquam dissoluti corporis ergastulo se subtraxissent, nomen omnibus terrori esset: adeò vt superstes ætas obseruãtiæ igitur fortiores & meliores defunctorum nominibus intimarint, vnde Augustos tanquam entheorum geniorum participes plurimos honoratos videmus.

Tanta etiam nonnulli fuerunt animi magnitudine, vt quos viuos vnius regni licèt vastissimi limitibus continere nequiuit, exanimes diuersis mundi plagis Natura deposuerit.

Crassum Parthus habet, Lybico iacet æquore Magnus.

Iulius ingratam perfudit sanguine Romam.

Et quasi non posset tot tellus ferre sepulchra,

Diuisit ceneres.

Vt

Vt taceam potentissimam Monarchiam quæ Latium terrarum orbi præsidere voluit, conscia memoria Heluetios nostros veneraturus, imo ingemisco pectore, si quando animũ subit, quàm generosis imbelles procreati simus parentibus, quos inermes Mauortia olim illa Cæsarum proles offendisse non sine æterna iactura dolet. Non tantùm, sed enim mortalium genus, sed & communis nostra mater Tellus, ceu febri quadam affecta, pristino Virtutum vigore deficit, vtpote quæ communia ingeminans suspiria aduersam Lucinam incuset.

Vt volantibus oculis vniuersum hoc prætercam, ecquid cùm Roma floreret, augustius in Gallia Nemauso fuit; cuius rudera sine tristi stupore nemo arbitrabitur? Sed vicissitudinem humanam experta, rarum tandem illud decus, quo vel Romanis

ipſis admirationi fuit, deiectum ſenſit, vt ſuo quoque exemplo teſtaretur,nihil ſub cælo vnquam floruiſſe, quod communem hanc tempeſtatem effugerit? Non tantùm hominibus, ſed & vrbibus inuida mors imminet. Maiori auaritia laborat ſenex Charon, quàm vt homuncionum naulo contentus,ciuitatum obliuiſcatur.

Nemauſi fundamenta Hercules ieciſſe creditur, occaſione filij Nemauſi, cùm interfecto Geryone ex Hiſpaniis illac in Italiam tenderet. Iter hoc ab omnibus cùm Græcis, tum Latinis annotatur autorib. nec quiſquã negauerit Herculem ciuitatibus condendis fuiſſe occupatiſſimum.

Quòd autem filij nuper ibidem nati nomine vrbem nobilitarit, more ſuo factum: ſiquidem ab Afro filiò Africam,à Scytho Scyhtiam,à Sardò Sardiniam,à Bento Benteſium,poſteà Brundiſium,ab Olyntho Olynthum, & ab

& ab aliis alias regiones & vrbes denominatas hinc inde legimus.

Hinc Stephanus de vrbibus scribit: Νέμαυσος πόλις τῆς Ἰταλίας, ἀπὸ τοῦ Νεμαύσου Ἡρακλείδου. *Nemausum vrbs Italiæ, à Nemauso Herculis filio.*

Italiæ autem vrbem vocat, quòd ab Italis, hoc est, Romanis, habitaretur: quemadmodum in antiquo codice qui ibidem in Bibliotheca Episcopali asseruatur, Nemausus Gothiæ vrbs appellatur, quòd videlicet à Gothis, vsque ad Caroli Martelli tempora possideretur, vt & alio loco Gothorum regia appellatur. Vnde regio barbarè *Langedoc*, quasi *Land der Goth*, vel inuersis literis, *Goth land*, id est regio Gothorum, vocatur.

Plinius etiam lib. 3. cap. 4. Heracleã, quam Nemausum credimus, in Narbonensi Gallia ad ostium Rhodani ponit. Videmus non procul inde Rhodanum in mare mediterraneum

exonarari.

Tantum ergo Romani Vrbis fundatorem Genium vrbis Nemausum tanquam Deum tutelarem aris & templis coluerunt.

Gothicus furor & temporis iniuria duas nobis dedicationes reliquit, ex quibus narrationi fidem facimus: quas clarissimus Iurisconsultus D. Isaacus Chironius, ob integritatem & variam doctrinam amicus singularis, cùm illic degerem mihi monstrauit.

DEO .NEM...."X. VTVLIVS. PERSEVS. HOROLOGIVM. ET. CERVLAS. II. ARGENTEAS. T. P.

Fragmentum insignis tabulæ..

... EO: SILVANO. ET. LIBERO. PATRI. † ET. NEMAVSO †... CRHVS. SYNODI.........

Figura cordis spina aut stilo compuncti, cuius loco asteriscus positus, vtrinque nomen Nemausi ambit. arbitror

bitror indicium esse maximi affectus: similem figuram in plurimis epitaphiis, ibidem repertis videmus.

Adiungit posterior dedicatio Genium, Diis maximè à gente illa cultis. Siluanum in siluis, quæ circa Nemausum, quam quidam ideo à nemoribus dictam nugantur, venerabantur. Sic etiam vicini Phocenses prope Massiliam siluam instar templi habebant, vt videmus libro tertio apud Lucanum, cuius versus prisci moris ergò adiicio:

Lucus erat longo nunquam violatus ab æuo,
Obscurum cingens connexis aëra ramis,
Et gelidas altè summotis solibus vmbras.
Hunc non ruricolæ Panes, nemorúmque potentes
Syluani, Nymphæque tenent, sed barbara ritu
Sacra Deûm, structæ diris altaribus aræ,
Omnisq; humanis lustrata cruorib. arbos,

Si qua fidem meruit superos mirata vetu-
stas,
Illic & volucres metuunt insistere ramis,
Et lustris recubare feræ, nec ventus in illas
Incumbit siluas, excussáque nubibus atris
Fulgura, non vllis frondem præbentibus
auris.
Arboribus suus horror inest. tum plurima
nigris
Fontibus vnda cadit, simulacráque mœsta
deorum
Arte carent, cæsis exstant informia trũcis.
Ipse situs, putrique facit iam robore pallor
Attonitos, non vulgatis sacrata figuris
Numina sic metuunt: tantum terroribus
addit
Quos timeant non nosse deos. &c.

Liberum patrem ob generosissimas vineas, quibus regio ad Formiarum vsque inuidiam, abundat, coluerunt, quod & alia dedicatio innuit, quæ Ægyptiorũ more, quorum for-

sitan nonnulli eo tempore Nemausi erant, Bacchum Serapin vocat, quem aliàs etiam Osirim appellarunt. Martial.

Isæum Serapin Nilus veneratur Osirim.

Tibull. lib. 1. Eleg. 7.

Hic docuit teneram palis adiungere vitē,
Hic viridem dura cædere falce comam.
Illi iucundos primùm matura sapores
Expressa incuruis vua dedit pedibus.
Ille liquor docuit voces inflectere cantu,
Mouit & ad certos nescia mēbra modos.
Bacchus & agricolæ magno cōfecta labore
Pectora tristitiæ dissoluenda dedit.
Bacchus & afflictis requiem mortalibus affert,
Crura licèt dura compede pulsa sonent.
Non tibi sunt tristes curæ, nō luctus Osiri,
Sed chor⁹, & cantus lenis, & aptus amor.

Quod autem horologium dedicatur; more vetere factum. Viennæ fragmentum offendi, vbi

R I V. S. M A N S.

..ROLO G I V M ... DE S V ... R E S...
,..... P. A. N O VO...R E S .....

Item aliud, quod delubrum refert, cum litteris ſupra teſtudinem H..ROL...G..M.

Geryonis tricorporis ſtatua, quæ hodie in cāpo Martio, ſic enim omnis vicinia Amphitheatri in antiquis inſtrumentis, quæ Nemauſi ſuperſunt, appellatur, in honorem Herculis fundatoris erecta fuit. Exiſtimarunt enim ſe de Tutelari bene merituros, ſi illius aduentui congratulantes, recentis victoriæ indicem poſteris conſecrarent. Nec dubito antiquitus ludos in Herculis honorem celebratos eo in loco, quem tandem Romani, admirandi illa Amphitheatri mole, quam nec temporis iniuria infringere valet, eminere voluerunt: nuſpiam enim temerè quemuis locum ſacris ſuis deſtinarũt. Quamuis autem me non fugiat,

vere-

veteres, siue Græcos, siue Latinos intellexeris, strenuè pugnaturos Herculi sacrificantes ludos vouisse, vt ex Paulo Æmylio apud Plutarch. in eius vita constat: auderem asserere Nemausense Amphitheatrum communi suffragio cùm terra maríque serenissima pax esset, Fundatori Herculi dedicatum. Aspice taurorum illud par, quo Amphitheatri portæ superbiunt, & iueris in sententiam quam hîc adscribo.

Exhibui paulò antè Geryonis tergeminam statuam, monstro nunc tauros quos victor domitis Ebusæ, maioris & minoris Balearicæ concordis Regibus in Italiam abduxit.

Passim autem apud auctores occurrit Herculem & Mercurium certaminum & huiuscemodi ludorum præsides fuisse habitos, vt apud Pind. 10. *Nem. &* 2. *Pyth. Orph. in Hym. Mercur.* Pausanias etiam *in Messen.* refert,

in curriculo Messeniacò statuas fuisse Mercurij, Herculis & Thesei, quas Græci certaturi summè venerabantur. Et in Arcadicis ait prope stadium vrbis Megalopolitanæ fuisse templũ Mercurio & Herculi vnà dedicatum. Viennæ lapidem, inter alias singulares antiquitates, prope templum D. Mauricij videmus. *D. D. Flaminica. Viennæ. tegulas. æneas. auratas. cum. carpusculis. &. vestituris. basium. &. signa Castoris. &. Pollucis. cum. equIs. &. signa. Herculis. &. MercurI.* D. S. D. Mercurius autem certaminum iudex & arbiter ante Herculem fuit. Hic enim, vt apud Theocrit. in Eidyll. est, in lucta ab Harpalico Phanopæo Mercurij filio institutus, & superato Gigante, vt Philostratus in pictura Antei refert, à Mercurio coronatus fuit.

Augustus, extincto M. Antonio, victor ex Ægypto redux, Nemausum Coloniam duci proculdubio voluit: vnde

vnde Suetonius cap. 4. in Tiberio scribit: *Pater verò Tiberij, Quæstor C. Cæsaris, Alexandrino bello classi præpositus, plurimum ad victoriam contulit: quare & Pontifex in locum P. Scipionis substitutus; & ad deducendas in Galliam Colonias, in queis Narbo & Arelate erant, missus est.* Confirmat numus vetus, Nemausi frequens, qui Crocodilum palmæ arbori alligatum, lauréamque coronam, hodię Vrbis sigillum & insignia, in Ægyptiacæ victoriæ testimonium; altera verò facie duorum iuuenum capita cum inscriptione IMP. PP. D. F. exhibet. Ego Tiberium & Drusum Nerones, Liuiæ filios esse iudico, vt sit *Imperatoris patris patriæ Diui filij.* Plurimis enim testimoniis constat, Augustum priuignos istos filiorum loco paterno prorsus amore prosequutum. Quantæ etiam Tiberius autoritatis Nemausi fuerit, vel ex eo liquet, quòd imagines & statuas

ibidem habuit: quas tamen, cùm in Insula Rhodo alienus à Romanis moribus biennium egisset, subuerterunt, vt habet Tranquillus *in illius historia, cap.*13. Vnde etiam Nemausensium in Romanam maiestatem serius amor apparet. Nemausus igitur Colonia est, quæ trans Rhodanum in via versus Narbonem ducenda erat: cis autem Rhodanum in Arelatensi parte, siue Tarascum, siue alia aliqua Prouinciæ, vt hodie totam illam regionẽ vocamus, vrbs sit non disputato. Apparet autem Augustum illa Galliæ parte maximè delectatum quę Rhodano adiacet, siquidem etiam ex Caietana inscriptione nouimus, iisdem temporibus per L. Munatium nostrum Plancum, Lugdunum Coloniam factam. Nullæ ergo rationes sunt, quibus nobis patiamur Nemausum Arecomicorum ab Antonio illiúsque fratre Vero Imperatoribus

ductam: quemadmodum etiam ridiculum est, COL. NEM. pro *Colonia Nemausensium*, legere, *Colligauit nemo*, vt ille in Symbolis Heroicis asserit. In eo autem numismate Nemausus Colonia vocatur, vt & in quibusdam insctiptionibus, quæ à præstantissimis viris, D. Chalassio, & D. Gaisado, mihi exhibitæ, quarum lucem clarissimus Iacobus Zuingerus seriò sæpè exegit.

L. IVLIO. Q. F. VOLT.
NIGRO.
AVRELIO. SERVATO.
OMNIBVS. HONORIB.
IN. COLONIA. SVA.
FVNCTO
IIIIIIVIRI CORPORAT.
NEMAVSENSES.
PATRONO.
EX. POSTVLATIONE. POPVL.
L. D. † D. D.

T. INDESII. TERTII. ÆD. COL.
AVG. NEM. DOMITIA. EROTE.
SIBI. ET. VIRO. DE. SE. BENE
MERITO. V. F.

C. FVLVIO. C. FIL. VO.
LVPO. SERVILIAN---
ADLECTO. INTER. PRAETOR---
AB. IMP. CAESARE. AVG. VESPA---
PRAEFECTO. ALAE. LONGINIA.
IIII. VIR. AD AERARIVM---
PONTIFICI. PRAFECTO. VIGI---
IVLIA. D. FIL. CONCESSA. VIRO.

D. M. AMIDII. AVITI. MILITI,
LEG. VII. GEMIN. FELICIS.
BENEFICIARI.
IVNII. OMVLLI. CONSVLAR.
CVRA. T. VITRASII. POLLION.
LEGATI AVG.

... NORAT. IIII. VIR. IVRIS
DICVNDI PONTIFIC.
PRAEF. VIGIL. ET. ARMOR
Q. LVCRETIVS. HONORAT.
PATRI

PATRI. † OPTIMO. † PIETATIS...

D. M.

SEX. AVRELI

ZOSIMI

STATORI. NEM.

AVRELIA. COS-

MIA. FRATRI

PIISSIMO.

L. LETIVS

MARVLLVS

IIIIII. VIR. AVG.

DECVR. ORNAM.

V. F.

D.---------

C. FVLVIN----------

RI. IIIIII. VIR. AVG.---

PORAT. ET. DECVRIO

NIS. ORNAMENTAR---

FVLVIA. G. F. CASSIAN---

PATRIS. RARISSIM. ET

SANCTISSIM.

D. † M.

IIIIII. VIR. AVG.

Q. AVRELIO
HERMAE
VESTIAR. ITAL.
IIIII. VIRI. AVG.
POLITICVS.
PHOEBVS.
RESTITVTVS. LIB.
ET. SYNTYCHE. LIB.
D. M.
M. CORNELII. M. F. VOLT.
MAXIMI. IIII. VIR. AB. AER.
PONTIFICIS.

ET. PHILOMVSO.
Q. SOLONIO. ET F. VO...
SEVERINO.
EX. V. DECVRIIS. EQVO.
PVBLICO † LVPERCO.
IIII. VIR. AB. AERAR.
PONTIFICI.
FLAMINI. PROVINCIÆ.
NARBONENSIS.
TRIB. MILITVM. LEG. VIII. AVG.
CIVI-

cIVITAS FOROIVLENSIVM
PATRONO.

D. † M.
SAMIÆ. ET FIL.
SEVERINÆ
FLAMINI. AVG. NEM.
C. TERENTIVS
ANICETVS. AMICÆ.
OPTIMÆ. ET. SIBI.

IIII. VIR. AB. AER.
POMPIA. SERVATILLA.
VIRO.
PIENTISSIMO.
IIIIII. VIR. AVG.
C. MARCIVS.
PHILOLOGVS.
V. S. P.

D. M.
ET ÆMILII. FIRMI.
ÆD. COL. ET.
CLOVSTRIAE. SVAVIS.
VXORIS.

AEMILIANVS. FIL.

L. DOMITIO L. F. VOL.
AXIOVNO. PR. IIII. VIR. BIS.
----CAESAR----
-- -RMANICI----
----PRAE----

DIIS. MANIBVS.
IIIIII. VIR. AVG.
C. POMPEII
DIOMEDIS
T. F.

D. M.
Q. AVREL. EVHEL.
PIST. IIIIII. VIR.
AVG. CORP.
Q. CVRIVS. AVRELI
ANVS. FIL. ET
AVREL. EVTYCHES. IB.

D. M.
C. VETTII. HELIS.
IIIIII. VIR. AVG. ET.
VETTIÆ. SERVANDÆ.
VXORI -

VIVI SIBI POSVERVNT.

Subiuncti sunt quatuor pilei, quorum freques figura in epitaphiis hîc Nemausi inuentis: acceptam autem libertatem, cuius pileus apud Romanos index fuit, significare, pueri norunt.

D. M.
IIII.I. AVG. ET SCARIVS
RVFINVS. SIBI ET SVIS
V. F.
IVLIÆ THALLVSÆ.
IIIIII. AVG.
L. IVL. HESYCHIVS. CONTVB.

In dextra huius tabulæ parte, vxoris, in sinistra verò mariti facies insigniter sculpæ sunt: exstat simile opus Vticæ, vel Vsetiæ in vicinia.

D. M.
IIIIII. AVG.
C. VETTI HERMETIS
IVLIA FVSCINA
VXOR.

P.
IIIIII. VIR. AVG.
SEX. LVCRETIVS.
LASCIVVS.
SIBI ET LICINIÆ.
SATVRNINÆ.
VXORI.
V. F.

D. M.
IIIIII VIR. AVG.
T. ICARI SOTERICHI.
SERANA.
VXOR.

---L. VARERIAN. MIL.---
---AVG. MILITAVIT. ANN.---
---MEN. VII. DIES. XXI.
---IXIT. ANN.XXXI.MENS---
---IES. XXVI. IVLIA. IVL---
---ILIO SANCTISSIMA---
---TATIS ET SIBI VIVA---
MANIBVS
SEX. SPVRII. SEX. F. VOL.
SILVINI.

EVCHA-

EVCHARISTVS. ET GERMANVS. LIB.
IIIIII. VIR. AVG.

D. M.
M. ICCI
SOTERICHI
IIIIII. VIR. AVG.
OBERIA. PHILESTE.
MARITO. KARISSIMO.

Quo iure autem Nemauſus nobiliſſima Romanorum Colonia donota fuerit, vel ex eo patet, quòd Strabo affirmat, plurimos Nemauſo Romam iuiſſe vt Magiſtratum peterent: adeò vt Nemauſenſes maximis Matris Romæ priuilegijs fruerentur. Hinc Romani tantoperè ob aëris, terræ & maris bonitatem Nemauſo delectabantur, vt ad Romæ ſimulacrum nouam coloniam ædificarint. Aër ſerenus, æſtate quidem à canicula incenſus, ſed Eteſiarum flamine iucundus, Ver floreum, æſtas fructuum ditiſſima, Autumnus rariſſimis

mis vuis, pomis punicis, suauissimis ficis & oleis superbissimus: Hyems nullo frigore horrida, sed perpetuum quoddam ver spirans, inter nectareas delicias incolarum animos & corpora reficit, mare perpetuò pisculentum, venationes & aucupia vberrima, fontes saluberrimi, thermæ admirabiles, quæ vel Baias Aesculapio sacras æquarent: *Vide clariss. Dorthomanni Bellucenses.*

Vestiga diligentiùs priscum vrbis situm: assurgit septẽgemina collium veneranda series, quam mœnia incluserunt, cæsis in formam laterum saxis, qualia nos Augustæ Rauracorum, quam Mun. Plancus Coloniam duxit, prope Basileam nostram, & Auentici in potentissima Bernensium Ditione habemus, quę Babylonicum opus mentiri possent. Aduenam Amphitheatrum stupefaciet, reliquis insignium operum ruderibus, quorum venera-

venerabilem conspectum Gothi Romanæ maiestatis iurati hostes nobis inuiderunt, arbitrantis oculos distrahentibus. Sed vt semel dicam, quod viatores vix longis cogitationibus concipiunt. Quid si Romani Nemausum hac magnificentia extruxissent, vt toti mundo significarent se ad tantum deuenisse potẽtiæ fastigium, vt in hostium terram Romæ olim ab ipsis captæ & incensæ imaginem transferre valerent?

Amphitheatrum ex maximis, & ferreís quasi saxis, quæ polita marmarmor referrent, tanta industria ædificatum, vt nescias num ingeniorum, an corporum plus quàm humanas illas vires mirari debeas. Credederes Palladem Gigantibus architectonicam monstrasse. Figura totius molis oualis est, sexaginta insignes in ordinem arcus efficiens, quorum quilibet crassitie decem, distantia verò v-

nius ad alterum duodecim pedum, magnum vrbi decus addit. Fuit olim quaſi in medio vrbis, hodie mœnia deſpicit,quà Monſpelium itur.Iuſtus Lipſius, qui iuuenis ſene maior fuit, in tractatu deAmphitheatroNemauſenſi,huius partem exhibuit vulgariter præfatus:ſed vel Nemauſum non vidit, vel nihil inde ſperauit. Nouimus quidem Lugdunum & Valentiam vrbes nobiliſſimas fuiſſe. ſed quibus indiciis probauerit Amphitheatris claruiſſe longè pulchrioribus?Ego licèt diligentiſſimè quoſvis angulos ſcrutater, nihil talium deprehendi,cùm tamen illæ vix immanioribus tempeſtatibus fuerint concuſſæ.Arauſione C.M. arcus triumphales,& inſignem Circi partem videmus. Arelate Amphithetrum ſupereſt.Biterris non ita pridem in quodam horto ſimilis operis veſtigia detecta ſunt.Narbo etiam multis antiquita-

quitatibus ornatur:ſed quid hæc omnia præ Nemauſo? Tanta ſaxorum mole;vt diximus,exſtructum eſt hoc Amphitheatrum, vt diu à Gothis arcis & munitiſſimi propugnaculi loco, cui etiam turrim impoſuerunt, habitùm fuerit. Pinnæ, quibus ſaxa præminent ad malos regendos, integræ ſunt, pauci gradus deuoluti, arcus omnes & fornices ruinæ inexpertes: Orcheſtra tantùm ædificijs in arena à Gallis exſtructis ante paucos annos ceſſit. Caueæ quibus leones aliæque ad munera feræ detinebantur, muris intectę ſunt. Non procul à taurorum, de quibus ſuprà, càpitibus, paulò inferiùs ad latus Lupa cum Romulo & Remo conſpicitur: & in alio loco Pluto cum draconibus. Conſtat autem inferis in huiuſcemodi locis aras fuiſſe poſitas, quas humano, heu diaboli ſuaſu, irrigabant ſanguine. Incidit, dum horrens hæc cogito, illud

Prudentij.

Hæ ſunt deliciæ Iouis, infernalis, in iſtis
Arbiter obſcuri placidus requieſcit Auerni.

Poſt Amphitheatrum ſecundum locum hodie habet Domus quadrata, ſeu capitolium, vt vocant, ædificium magnificentiſſimum, pulcherrima columnarum ſerie ſuffultum, & circa tectum exquiſitiſſimis ſculpturis exornatum, vt affirmem vix hodie ſculptores inueniri qui in tenerrimo gypſo præſtent, quod illi in duriſſimo ſaxo ingenioſiſſimè & feliciſſimè expreſſerunt. Simile prorſus ædificium Viennæ Allobrogum exſtat, quod à Chriſtianis beatiſſimæ Virgini à multis hinc annis dedicatum eſt. In quem vſum autem deſtinatum fuerit, variis variæ ſunt opiniones: ego nec domum priuatam, nec forum aliquod fuiſſe reor, ſed potiùs ſacellum alicuius Dei aſſererem.

Templum Dianæ magnificentissimum fuisse præter rudera, quæ haud vulgaria, cultus diuæ arguit. Cùm enim portubus, viis, venationibus & piscationibus, vt ex Callimacho & reliquis veteribus patet, præesse crederetur, dubium non est Romanos in frequentissima ex Hispaniis in Italiam via sumptuosissimũ Deæ tanta religione cultæ, quam & Venus apud Eurip. in Phædra, μεγίστην δαιμόνων appellat, illiúsque sacerdotem quibusdam in locis tam lautum dicit, vt diadema regiũ gestaret, exstruxisse.

Fons etiam Dianæ, qui prope illius templum ex durissimo saxo, tanto gurgite scaturit, vt quandoque vrbi inundationem minetur, vt ex epigrammate constat, quod in Collegio à Francisco primo fundato ad portam exstat, quo sumptu fuerit ornatus ex pauimentis tessellatis, si aliquantum terram ibidem foderis, col-

liges. Ego cùm quandoque cum amicis curiosiùs emblemata illa vermiculata, vt cum Lucilio loquar, ſcrutarer, Villæ Tiburtinæ recordabar, de qua Papinius Statius meus, cuius vetuſtiſſimum manuſcriptum, Nemauſi decus, nobiliſſimus Ioh. Chalaſſius in amicitiæ ſacramentum mihi dono dedit:

Calcabam necopinus opes, nam ſplendor ab alto
Defluus, & nitidum referentes aëra teſta
Monſtrauere ſolum, varias vbi picta per artes
Gaudet humus, ſuperántque nouis Aſarota figuris.

Noſtra ætate ſuperbiant Pariſienſes nymphæ, S. Germani in Palatio Regio mirandis ludentes operibus, quibus humana ingenia nobilius nihil excogitarent, niſi ſuperioribus ſeculis ars & natura inuicem certaſſent, nequid poſteri haberent, cuius inuen-

inuentione elati; priscorum authorum monumenta negligerent.

Num autem fons hic Diuæ tantùm, ceu lauacrum, consecratus fuerit, an verò in eo sacerdotes eius ex more, vt apud Apollon. 3. Argonaut. & apud alios videmus, antequam sacra facerent, se lauarint, non disputo, cuiuis propriam, siquidem tanti non est periculi, relinquens opinionem.

Doctissimus Iohannes Steckius. peregrinationis meæ per illas prouincias suauissimus comes, fragmentum mihi exhibuit, ex quo Nemausensium in Dianam religionem fusiùs colliges,

Isis.-----------
Serapis.Vestæ.Dianæ.Somni.
*Hs.n.vj.phialas.*11.
Chrisen--cli--gna
Deorum.argentea.castrensia.
domo.habeat.Item.--
dedicatione.templi. Isis.& Serapis. Deo.

omnibus. Nemausensium. &
ornamenta-R-singulis.
** .v. ita.vt.in.publico.vescerentur.*
distribui. iussit.inque.eius.domus.
--telam. h. s. n. x. reliquit
item imaginem. Martis.argenteam. ex.
Amnagensibus .dedit
C.ordo.--bitur.

Vidi etiam insignem lapidē cum hac inscriptione.



LVNAE. ET. ISIDI.
AVG. SACR.
C. OCTAVII.
PEDONIS. LIB.
TROPHIMIO. SEVERI
AVG. V. S.

Isidis huius templa, veræ fornices fuerunt, in quibus creberrimæ adulteriorum occasiones dabantur, hinc ad amantem Naso,

Ne

Ne fuge ad Iliacæ Memphitica ſacra iuuencæ,
Multas illa facit quod fuit ipſa Ioui.

Vnde non immeritò Tiberius, vt Ioſephus ait, ſacerdotes eius crucibus affixit & templa deſtruxit.

Illices huius fontis aquas deſpicit Turris magna, vel Romana, vt vulgò vocant, admirabili ſtructura monti impoſita. Sunt qui Pharum fuiſſe arbitrentur, alij autem Mauſoleum putant. Prætendunt illi mare vicinum piſculentum, & Italicis atque Hiſpanicis nauigationibus frequens. Hi turris concauitatem Conditorium cum Hypogæo coniiciunt, freti teſtamenti fragmento, & aliis ſepulchralibus indiciis ibidem inuentis. Teſtamentum hodie ad portã Coronæ viſitur, hac inſcriptione: *Si quis ex iis qui ſuprà ſcripti ſunt, cùm moriar non viuet ſiue poſt mortem meam morietur tum qui reliqui in eorum locum*

qui mortui erunt alios per suffragia substituant, quos dignissimos putauerint. dum non minus in perpetuum triginta sint: liceátque iis qui præsentes esse iis diebus poterunt in locum suum conuiuam ex amicis suis mittere eiusque Mausolei claues duæ penes aliquem libertorum meorum & curatorem cuiusque anni sint.

SVBSTITVTI.

Troucius Maternus.
C. Licinius Soterius.
A. Fuluius Tarentinus.
L. *Iulius Cosmus.*
Ti. Claudius Erotemus.
P. Acilius Philodespotus.
Q. Caninius Eutychus.
Q. Iuuent. Venustus.

Cùm autem Duellio Cos. S.C. cautum fuerit, nequis in vrbe sepeliretur, cuius & XII. tabularum lex, & Cic. 2. de Legibus meminit, nisi quis

Virtu-

Virtutis caussa legibus non teneretur, consentaneum est primarium quendam Romanum Mausoleo illo conditum fuisse: attestatur vetus lapis Romæ inuentus. *C. Poplitio. L. F. Bibulo Æd.*P.*Honoris.virtutisque.causa. Senatusconsulto. populique. iussu. locus. monumento.quo.ipse.posterique. eius.inferrentur.publicè.datus.est.* Idem apud Græcos obseruatum videmus: Capaneus enim teste Philostrato Lemnio in Euadne, Argis: Meneceus filius Creontis, qui consilio oraculi pro patriæ salute se interfecerat, Thebis prope portam Nelam, vt & ibidem Amphion cum liberis & fratre prope portam Prælidem, sepultus fuit, vt annotat Pausanias in Bœotiis. Rara itaque sepulchra in vrbibus: in viis autem, hortis & agris creberrima: vnde adhuc hodie quoque ex vestigiis viam Appiam veterum sepulchris à dextris & à sinistris frequen-

tissimam videmus. Et Cicero. 1. *Tuscul. An tu egressus* Porta *Capena, cùm Calatini Scipionum, Seruiliorum, Metellorum sepulchra vides.* Ita etiam legimus Acrisium Argiuorum regem, à Perseo ex Danaë nepote & ciuibus ante portam Larissæ, vt & tandem Perseum quoque in via, qua Mycenis Argos iter fuit, ad latus magnificè sepultum esse. Frontinus de *limite agrorum lib.* 1. ait veteres in campis stauisse terminos quadratos, & interiectis locis arcas & monumenta. Quin casulas & ædificia monumentis in agris super imponebant, vt Petronij Satyrico videre est, vbi ait, Imperator Prouinciæ latrones iussit crucibus affigi, secundùm illam eandem casulam, in qua recens cadauer matrona deflebat. Probat morem vetus inscriptio: *M. Aurelius Romanus & Antistia Chresime vxor eius fecerunt sibi libertis suis posterisque eorum monumen-*

mentum eum ædificio superposito. Quod & Iurisconsulti plurimis locis confirmari notum.

Quarto ab vrbe lapide Aquæductus superat, opus ingenti structura mirabile, cui par nec Germania, Italia, aut Hispania habet. Angliam non allego, in illa enim nihil talium monumentorum offendere potui.

Vulgò *Pont du Gard*, pons Gardi vocatur, integit enim fluuium (qui ante biennium horrenda inundatione Alestum, vbi Comitis stabuli laberintheus hortus, inuasit) tribus arcuum ordinibus, adeò vt inferior pons, qui peruius, infimas; secundus medias, tertius, cui aquæductus incumbit, supremas montium partes pluribus arcubus coniungat. Aquæ prope Vticam, vbi templi nympharum vestigia, & pluria Romanorum monumenta D.L. Allardo, & D.L. Brunerio, amicis desideratissimis in-

dicibus vidi,colligebantur,& per diuersos canales in magnum illum Gardi aquæductum deriuatæ, Nemausum ducebantur.

Non procul à domo quadrata intimus meus Alexander *Vom Stein* Nouiomag.in priuatis quibusdam ædibus magnam lapideam tabulam mõstrauit, in qua artificiosissimè Pegasus sculptus cum inscriptione,

PROCVL ESTE PROPHANI.

Reliquiæ proculdubio alicuius templi Musis olim dedicati,quandoquidem ob vicinum Massiliense Athenæum, Nemausi bonas litteras floruisse, vel solus Domitius Afer Nemausensis, de quo Euseb. ad annum Christi XLVI. testatur. Quantum ille autem Musis dilectus fuerit docti norunt. Perpende etiam epigramma ibidem inuentum.

--atroni.famam.barba.--

cuius.Roma.libris.adserit.--

Amissos

Amissos.ornat.titulis.en.aspice.-
Quos. habet. incolumes.fouit.amore. --
Supremas.error.ne.possit.rumpere.cer.--
Arte.sua.cauit.clausit.operta.fide.
Excipiet. manes. sua. qui.sine.lite.reliquit.
Laudabit.studium.cui.sua.cura.cau.--

Ælius Spartianus in vita Adriani, vt & Dion Cassius mentionem faciunt Basilicæ, Nemausi in honorem Plotinę Traiani vxori exstructę, cuius ne vestigia quidem Gothicus furor posteris reliquit. Aquis Sextiis lapis superest, qui magnificentiæ nos, certiores facit: vide in Itinerar. pag. 211.

Eodem fato multa splendoris Romani testimonia communi sepulchro condita deprehendimus, non sine gemitu & dolore ægrè ferentes tot insignium operum iacturam. In effectũ heu tandem productum est quod Neronis ille deliciarum ingeniosissimus Arbiter diuino carminis fluore

satyræ

Satyræ immiſcuit,

Omnia quæ tribuit Romanis arcibus odit,
Muneribuſque ſuis iratus deſtruet iſtas
Idem qui poſuit moles Deus.

Sic enim Ditis Fortunam his verbis alloquitur,

Ipſa ſuas vires odit Romana iuuentus,
Et quas ſtruxit opes malè ſuſtinet: aſpice latè
Luxuriã ſpoliorũ, & cẽsũ in damna furentẽ,
Ædificãt auro, ſedéſque ad ſydera mittũt.
Expellũtur aquę ſaxis, mare naſcitur aruis,
Et permutata rerum ſtatione rebellant.
En etiã mea regna petunt: perfoſſa dehiſcit
Molibus inſanis tellus: iam mõtibus hãuſtis
Antra gemunt: & dum varios lapis inuenit vſus,
Inferni manes cœlum ſperare iubentur.
Quare age Fors, *muta pacatum in prælia vulgus,*
Romanoſq; cie, ac noſtris da funera regnis.

Aquilæ Romanorum inſignia, quæ paſſim per vrbem candido lapide effigiatæ viſuntur, ornamentum fori aut

aut palatij alicuius ſine dubio fuerunt, quibus Gothi capita detruncarunt, ſignificantes ſe orbis etiam caput Romam conculcaturos.

Qualia quantáque inſuper Romanorum monumenta Nemauſi deſiderentur, innuunt Cæſarum epigrammata, quorum tabulas tantùm videmus.

SANCTI
TATI
IOVIS ET
AVGVSTI
SACRVM
LVCILIVS
CESTIO. F.

Viennæ columnam vidi cum his verbis

NVMINIBVS
AVG.
ET. DEÆ. DIAN.

*Imp.Cæſar.D.Aug.f.Augu.Pontifex. Max.Trib. pot.*XXXIII*.refecit.&.reſtituit.*

Ti.Cæſar.Diui.Aug. F. Aug. Pontif. Max.Trib.pot.XXXIII.refecit.&.reſtituit. V.

Imp.Cæsar.Diui.F.Aug. Pontif. *Maximus.COS.XII.COS.designatus.XIII. Imp.XIIII.Tribunicia potestate. XX.*

Ti.Claudius.Drusi,F.Cæsar.Aug.Germanicus. Pontif. Max. Trib. Pot. *COS. Desig.*II.*Imp.*II. *refecit.*

*T.Claudius.Drusi.F.Cæsar.*August.*Germanic.*Pontif.*Max.Trib.pot. COS. designat.*II.*Impe.*II.*recepti.* LXXXV.

Imp.Cæsar.D.Hadriani.F.T. Ælius. Hadrianus. Antonius. *Aug.* Pius. Pont. *Max.Trib.pot.*VIII.*Imp.*II.*COS.*III.P. P.*Restituit.*I.

Sic & duæ aliæ similes inscriptiones extant, quarum vna habet *restituit.*II altera *restituit.*VI.

Statuæ nonnullæ antiquæ cùm in plateis,tum in ædibus visuntur.inter omnes autem nitidissima illa Cintiæ est, cum inscriptione,*Cintia.honorat. fidelis.tabula.*Videmus faciem affrabè factam,cum capillitio elatiore, quali hodie nobiles feminæ turritam Cybelem

belem referunt. Solebant autem antiquitus lautiores Dominæ crinem fastigiare, & in summum verticem adstringere, in modum turris: vnde Iuuenalis *satyra* 6.

---tot adhuc compagibus altum
Ædificat caput.

Insuebant etiam adscitos crines, quibus promissi non erant, Apuleius *lib.* XI. *Mil. Adtextis capite crinibus feminam mentiebatur.* Habebant insuper adulterinorum crinium sutiles quasdam formas, quas capiti vt veras apponebant. Firm. *Astr. l.* 8. *cap.* 7. *Appositis alienis crinibus fictam pulchritudinẽ mentiantur.* Tertull. *de cultu fem. Adfigitis nescio quas enormitates sutilium capillamentorum, nunc in galeri modum, nunc in ceruicem retro suggestum.* Iuuenalis interpres *crinem suppositicium* appellat. Vide plura apud Hierony. *Epist. ad Demetriad.* Man. Artemidorum lib. I. Clement. Alexand. Xiphil.

Num autem viris hoc in vſu quoque fuerit, relinquo; hodie inueniri qui turpiſſimis his nugis delectātur, ridiculum eſt.

Acus etiam crinalis, quam mulieres hodie capillamento circa aures infixam gerunt, olim in vſu fuit. Petron. *in ſatyr. Pſyche acu comatoria cupienti mihi inuocare Quiritium fidem, malas pungebat.* Martial. *lib. 6. Epigram. 66.*

Vnus de toto peccauerat orbe comarum
Anulus incerta non benè fixus acu.

Iſidorus *lib. 19. Acus ſunt quibus in feminis ornandorum crinium compago retinetur, ne laxiùs fluant.* Hieronymus aduerſus Rufinum. *Fecerunt hoc & Fuluia in Ciceronem, & Herodias in Ioannem, quia veritatem non poterant audire, & linguam veriloquam acu diſcriminali confodiebant.* Ex Vlpiano liquet acus illas gemmis ornatas fuiſſe, quod & hodie fieri videmus.

Pergamus nunc ad Epitaphia, quorum

rum plurima elegantissima occurrunt, ex quibus constat quàm sincero affectu veteres sese inuicem æternùm prosequuti fuerint. Heu fidem hodiernam, quæ Alpinis niuibus frigidior facta! Epitaphia à liberis parentibus consecrata.

D.M.Marci. Nigri.Ni. F. Marcellinus. &. Marcellina. patri. piissimo.

Q. *Cæcilio Rufino. p. Faustæ.* C*rasso-nis.*F.M.*&.Cæcilio.*F*austino.*F.*&Cæcilius. Nundinus.parentibus. vxori.filiosibi.V.†*

P.&.† C*æcilio. Nundino Simyche. vxor. restit. †*

Θεοῖς καταχθονίοις Ἄννια Ευτύχια Ἄσπι☉ μήτρῃ ἐυσεβεσάτῃ.

D. M.Iulia. Rhodiæ L.Iul.Epictetus. Vxori.kariss. & IuliI. Perpetuus. *&.Paternus.matri. piissimæ.*

D.M. Boudiæ. Primiæ. *Terentia. M. fil.Marcella.matri.optimæ.*

C*n.*Pompeius.C*n.F.Maximus.Fontanus.sibi.&.Cn.Pompeio,*C*n.F.Maximo.* Aug.& C.*Mario. patri. ex. testamento.*

*D.M.Fortunatæ.*Primitius.*matri.*

T. Geminij. F. T. Geminius. Titullus. Patri.

D. † *M.Valeriæ.Munatiæ.*L.*Munatius.Titullus.sorori.&.Munatia. Marcella.auiæ.*

Memoriæ.Lucani. patris. Pompeianus.Filius.

*D.M.*C. *Boduaci. Maximi. Maximia.*P*aterna.fil.&.*Anthis. *lib.*

D.M.*T.Boduacij.kari.Graiæ.E.*Messo*ris.F.*C.*Boduacius. karus. sibi. &.parentibus. V.*P.

Granio. Sex. *Volt. Boudo. &. Disetoni.matri.Homulus.lapis.* Alchimedo*.lib.*

L. Pompei. Callisti. *&. Sulpulciæ.primulæ.Sextilia.*Athis.*sibi.& Matri.V. P.*

D.M.

*D.M.*P*ompeiæ, Flauiæ. Matris. miserrimæ.*

D. M. *Mutiæ.* F*irmianæ. Turtuliæ. matri.*

A*ul.* I*ul. Myronis.* I*ul. Seuerus. &.* I*ul. Seuerianus.* P*atri. carissimo. & Camulatiæ.Seueræ. matri.viuenti. posuerunt.*

Epitaphia à parentibus liberis facta.

D.M.L.Kari.Æmilia. L. Karius. Communis.&. Æmilia.Zosime.filio.piissimo.

*L.*C*ornelio.* A*thenæo.* A*nthus.pater*

*D.M.L.Taurini.Aureli.ciui. Elusinensi.annor.*XXIII*.parentes.*

*D.*M.*Macciæ.Saturniæ.Feriulla. mater.&.Maccius. pater.*

*D.M.Valeriæ.*M*aximini.filiæ.annor.* III*.dier.*XXIII. M*aximinus. &. Veladus.*M*aximini.fil.&.Lucina. Luculli. filia.parentes.*

D. M.puer. Eutyches, annor. VII. Tyche.mater.&.Cestius. Treption.

D.M. Valeriæ.Celsinæ.Valerius.Celsus.&.Valeriæ Ianuaria.filiæ.piissimę.&.sibi.V.P.

D. Manib.T.Norbani.Niualis. Valeria. Seuerina.mater.fil.

Agricolæ. filiæ. piissim.... xori. optumæ.

D.M. Fabiæ. Q.F.Crispinæ. Quintia. Crispa.mater.

Exincomarus. Craxanij. F.

Titia. Cressutia. Me. Quæ vixit. ann. XXI. dieb. XIIII. Cæcil. Crescentiæ. fil. piissim. mater.pusil.

D. M. Valeriæ. T.F. Titullæ. Valeria. Gemina.filiæ.piissimæ.P.

D.M.Sex.Sammi.Aproniani.Sammia. Helpizusa.mater.

D.M.Oppiæ.L.P. Vareniæ. Ann. VI. M.IX.D.V.Oppia.L.fil. Secundilla.filiæ. karissim.

D. M.

*D.M.Sex.Iul.*M*essiani.Sex.Iul.Dionysius.filio.piissimo.&.sibi.V*.P.

A maritis vxoribus erecta.

L. Siluius.paternus. vxori. rarissimi. exempli.cum.qua.vixit. ann. XXXII.*sine. ulla.animi.læsura.&. S.V.*P.

*D.M.Næuiæ.*Priuat*æ.* C*n. Næuius. Diadumenus.vxori.optim.*

*Diis.*M*anibus.*Cail. C*atil. Niger.* P. A*ntoniæ Seruatæ.N.* Calicatius.*Nigrinus.sibi.&. optimæ. vxori. V.F.*

Sibi.&.D...umiæ. Remullæ. vxori.&. S.Spurio.Decur.F.

SALVVM. IRE.

CÆ. SONIÆ.
HORAEAE.
M. FVSCIVS. NEDYMVS.
CONIVGI. KARISSIMÆ.

SALVVM.REDIRE.

Cum insigni mulieris facie.

*Diis.*M*anibus.Corneliæ.Gratæ. T.Cornius.Silanus.vxori.*

D.*M. Mesiae* Callitych es Artemi*dorus. coniug. kariss.*

D.*M.*C. Aproni.*Fului. &. Seruiatæ. Vxori.*

Epitaphia maritisab vxoribus posita:

D.M.Sex. Auij. C*apelliani.* Licinia. *Faustina. marito. sibi. merentissimo. sub. ascia. posuit.*

Similia Viennæ vidi,vt:

*D.*M. *Et. Memoriae. Aeternae. Diu.* Leliae. *Atiliae.* L. Lepidus. *Basilæus. coniug. Kar. ponend. curauit. &. sub. ascia. dedicauit.*

Titiae. Catiae. *defunct. Annorum. VIII.M.V.*D. *VIII.* C*utia. bubate. fil. piissimæ.&. sibi. viu. posuit. hoc. sax. sub.ascia. ded. est.*

D.M.Serui.Seueri. F.C*assia. misera mater. filio. incomparabili. ann.* XXIII. *aram. posuit. &. sub. A.D.*

Ascia magnificentiam innuit,quæ

à Roma.

à Romanis in funere & monumento ſtruendo adhibita, vnde Plautus opus aſciatum vocat affabrè politú & exornatum. Sub aſcia autem polire olim ſepulchralibus legibus Romæ in duodecim Tabulis vetitum fuit, ne in rogo & ſepulchro faciendo magni ſumptus fierent. Hinc etiam prohibitum, *Ne aurum adderetur. ne murrata potio mortuo inderetur, néve longa coronæ, nèue acerræ adhiberentur ne plura funera vni fierent, ne lecti plures inferrentur*: ſed priſco illo & modeſto more, quem Naſo noſter Faſtorum lib. 2. ſequentibus verſibus deſcribit, omnia adminiſtrarentur:

Eſt honor & tumulis animas placare paternas,
Paruaq; in exſtructas munera ferre pyras.
Parua petunt manes. pietas pro diuite grata eſt
Munere. non auidos Styx habet ima deos.
Tegula porrectis ſatis eſt velata coronis,

Et ſparſæ fruges, parváque mica ſalis:
Inque mero mollita Ceres. violæque ſolutæ,
Hæc habeat media teſta relicta via.

Hodie in nonnullis locis tam inſana eſt Epitaphiorum frequentia, vt poſteri ne quidem pro vnico verſiculo ſpatium ſint reperturi, niſi parietarias iſtas herbas, *vt Conſtantinus de Troiano, inanium titulorum nimium ſtudioſo, dixit*, & laſciuientes hederas, religionis dememores euellere velint.

Præſtaret ſanè nos viuos virtutibus potiùs, quàm mortuos picta lapidum ſtrue inclareſcere, modò inclareſcere illis hoc modo licet, cum viui fuerint ignotiſſimi. Rideremus hortulanos ſi plantam, quam virentem florentem per totum ver & æſtatem neglige̅ter occultaſſent, hyeme verò marcidam & exſiccatam multis cum præconiis aſpiciendam exhiberet. Quid quæſo iuuat ex lapide mul-

de multorum insignium vanitate ornato, illum tandem noscere de quo dum viueret nihil vnquam inaudiuimus? sed hi mores, heu nostri sunt seculi, quo ingenio & virtute gloria quęri desiit & quo propriæ mentis vigore cùm nolimus, aliarum opere, saxorúmque beneficio ignotam memoriam posteris obtrudere velimus. Sed reuertamur ad monumenta nostra, quæ Nemausi vidimus, alio tempore nugas istas examinaturi, si quando poëmatum meorum libellum edere libuerit.

D.M.L. *TertullI.* M*arciani.* P*rimus* P*atron.&.* Delphinus. *heredes.*

D.M.*Rustica.* *Auxes.* Ho*norata.* P*atron.*

D.M.*Bebriæ.*P*yrandi.*B*albia.* S*ecundilia. patron. piissim. lib.*

A*tro.*I*ulio.*V*aro.*

D.M.M*usici.*Q.A*puleio.*S*alito.*

Parcis.L. Valeriu. Hybr. V. S. L. M. Iulia.D.F.Marcella.viua.sibi.posuit.

Manibus.Lutatiæ.C.F.Carceiæ.

D.† M.Vidiæ.Musæ.

Exincomarus.Craxanij.F.

D.M.C.Terentius.Romulus.Siui.Drimylus.unctor.siue Pollinctor.V.S.&.suis.F

L. Cæcilius. Sextianus.sibi. &.suis.

Gottio Albano Sex.Iul. Calata.

Crescenti.Donatæ. Melius. Trophimus. Parcis.Valerius.

D.M.Liuij.Licrini.L.Iulius. Peculiaris.liberto.optimo.&.pientissimo.

D M. Hermetis. Sex. Auius. Varus. seruo.optimo.

L. Lucretio. Calidiano. C. Parucius. Trophimus.&.Calidia.Doris.lib.

D.M.Q.Pompij.Eutychetis.&.Pomp. Clinias.conlib.

C.Va.

C.*Valerio*.L.F. *Vol*. *Lussori*. *Q*. *Col*. *Iuniæ*.*Primiliæ*. *Iunia*. *Anxesis*.&. *Iunius*.*Græcus*.*lib*.

C. *Autestio*.*Q*.F.*Vol*.*Palustri*.

D.M.L.*Helui*. *Epagathionis*, &. L. *Helui*.*Niciæ* L.*Heluius*. *Phileres*.*lib*. &. *Popilia*.*Mystis*.

D.M.(.*Allij*.C. *Volt*.*Macrini*.*Euporus*. & .*Tryphæna*. *lib*.

G.Q.*N*. *Trophimus*. *Ser*.

D.M.L.*Sennii*.*Primi*.*Vitalis*.*collib*.

Sex.*Oleatio*.*Honorato*.

Dis.*Manibus*. *Corneliæ*. *Atticæ*.

Manibus.*Reburri*.*Virili*.*F*.*Linteari*.

D.M.*Tertulla*.*Successi*. *F*. *Viua*. *sibi*. *posuit*,

Manibus.Q.*Deocii*, *Senecionis*.

D.M.*Heluiæ*.*Helui*.F. *Valeriæ*.

M.*Va-*

M.Valerius. Maximus.&.M.Numorius. Martialis.H.P.

L.*Cæcilio.*Afro. *ex.testamento.*

D.M.*Tib.*Iuli. A*ulini.heredes. Aug.* M*arti.Brito.Vio-sa-nus.Secu-d-n.ex voto.*

D.M.*Basilices.*L.*Æmilius. Hermas. Virrius.*A-*N em-u-s.*

P. *Brittio. Saturnino.*

In superiori huius tabulæ parte radius, quo textores vtuntur, inferiore autem forfex visitur, adeò vt liqueat mechanicas artes apud veteres honorificè habitas fuisse, nósque plurimum degenerasse, apud quos non tantùm mechanicæ, sed & liberales artes, imò omnis generis Musæ despectui sunt: vnde mores nostros considerans, sępius illud Petronij Arbitri in Satyrico ingemino,

Amor ingenij neminem vnquam diuitem fecit: nescio quomodo bonæ mentis soror est paupertas.

Qui

Qui pelago credit, magno se fœnore tollit,
Qui pugnas & castra petit, præcingitur auro,
Vilis adulator picto iacet ebrius ostro,
Et qui sollicitat nuptas, ad præmia peccat:
Sola pruinosis horret sapientia pannis,
Atque inopi lingua desertas inuocat artes.

D.*M.*Pompeio.P*annichidi.* L.*Iunius.* *Eutychus.* &.*Iunia.Tryphosa.*

D.*M.Betutia.*P*rima.uiua.sibi.*&.Po*pilio.Victori.Amico.*

D.M.*L. Trebonio. Nicephoro.* P*atillo.* C*oponi.Epaphroditus.amico.optimo.*

D. M. *Iul. Seuerinæ. Iul.* P*aterculus.* C*onscbrinæ,*& A*ttia.* A*phrodie.* A*mulcæ.* *Gemellæ.*A*lbanus.*C*ontub.*

D.M.A*uiti.Gemelli.F.Nemonia.Ginge.* *contubernali.*

D.M.*Barbarulæ.*&...*V.annos.*XXII. M.II.D.IIII.*Barbara.*&. P*hilumenus.*I. &.*Helicon.contubernali.kar.*

D.M.*Barbaræ.&.Philumeni.V.S.P.*
*...Nomia. quæ vixit.ann.*XXXIX.M.
III.D.II.P*otamon contubernal.*

D.M.*Quinto.*C*ælio:Epityncano.Elusa.*
*Secundilia.*M*umer.*C.P*omp.*M*ari.Fau-stus-* --- XXXVII. *N. Arabus.Luc. Ac. contubernali.de.suo.*

*D.M.Martini.Saluini.*F.
*Crispini. Auiti. lib.*M.V.F.

D.M.Iul.Aspasiæ.Q.Ælius. Saturninus.posuit.G.Auili. Eutychetis.Stephanis.contubernali.opt.

D.M.Sex--- cij.Seueri. Sex. Pop.....
amicus.

D. M. TVTÆ MAXVMI. P. VTVLIVS. F.	D. M. VERI VELAGENI. F. VTVLIVS. F.

Ad portã Coronę extat fragmentũ
ina-

magni saxi, in quo antiquis Græcis literis hæc legi possunt:---ΝΕΜΥΣΩ. ΤΩΝΑ---ΘΥΑΝ.ΤΡΑΙΑΝΟΝ.ΚΑΙΣΑ ΡΑ.ΣΕΒΑΣΤΟΝ.In alia quadam quadrata tabula inscriptio hæc exstat: FVLGVR CONDITVM DIVOM. Vsitatum morem Lucanus libro primo non procul à fine, attingit in hunc modum canens.

Dumq́; illi effusam longis anfractibus vrbem.
Circumeũt, Aruns, dispersos fulminis ignes
Colligit, & terræ mœsto cũ murmure cõdit,
Datque locis nomen.

Draco qui ex aduersum ædiũ nobilissimi Doncini de Lausard, Consiliarij Regij Amici mei colendissimi, columnæ, cùm Franciscus primus, Rex laudatissimus vrbem ingrederetur, impositus fuit, vetera Gothorum, quorum, vt monui, Nemausus aliquãdiu Regia, insignia sunt. Putabant autem Gothi Draconem Aquilam

propulſaturum.

De vrnis nihil dicam, ſufficiat ſcire illis non tantùm cineres in conditoriis aſſeruatos, verùm, vt doctiſſimum Turnebum ex Propertij verſu lib. 3. Eleg. 11.

Neue aliquid de te flendum referatur in vrna,
Sic redeunt illis qui cecidere locis.


monere memini, eorum qui militiæ perierãt, oſſa in patriam relata fuiſſe. Huiuſcemodi vrnarum hinc inde per Viennenſem & Narbonenſem Galliam plurimas elegantiſſimáſque diuerſarum formarum offendi.

Hæc mihi variis negotiis diſtento & diſtracto, librorúmque præſidio deſtituto inciderunt, quæ Nemauſenſibus inſcriptionibus inſerere placuit: oro beneuolos lectores, in primis Narbonenſes meos, deſideratiſſimos amicos, ſyncerum meum affectum agnoſcentes, omnia hęc ſerena frõte

ſuſcipere

ſuſcipere dignentur, donec ad patrias Muſas reduci, digniora exhibere dabitur. Deo Optimo Maximo Soſpitatori & Tutelari noſtro clementiſſimo ſit in ſempiternum gloria, quòd tam miranda miſeratione, in Geneuenſi morbo mihi adfuit, vt nõ tantùm chirurgorum & medicorum, quos diligentiſſimos grata mente veneror, manus euadere, ſed etiam vegetum prorſus & incolumem per diuerſas regiones feliciter peregrinari me voluerit.





IAC. LECTIVS IC.

IACOBO GRASSERO NOVANtiqua Nemausensia publicanti.

PRiscarũ, Grassere, places indagine rerũ,
Nec min⁹ ingenio, nec min⁹ arte places.
Latiùs hoc alij: sed non valuere quod ausi:
Plus tuus in paruo cernitur orbe labor.
Et monumẽta, licèt manes defossa sub imos,
Appenetret Stygios vel tua cura lacus:
Hinc tibi deinde tamẽ nesciri nescia surgit
Gloria luce procul conspicienda suâ.
Qualis vbi pariter radice in tartara tendit,
Porrigit & cœlo populus alta comas.
Testis erit sanctũ retinens Offredus honorẽ,
Tessera iudicij testis & ista mei.

Atque

Atque hæc sunt quæ iam olim publicauerat vir clarissimus IACOBVS GRASSERVS. Loca in ijs, cruce notata noueris occupata esse figura cordis spina compūcti. Quod verò pag.45. ponti Gardi nullibi par opus exstare adserit, generosi & nobilissimi peregrinatores nuper ex Hispania reduces aiunt fallere in aquæductu Segouiano:quem& arcuū numero,& operis mole, tum saxorū granditate longè antecellere fidem faciunt. Id quod indictum relinquere nolui:& hoc insuper monere, festinanti excidisse, cùm de Montepessulano retuli, de horto regio omnis generis simplicibus in areas & puluillos distinctis refertissimo monere. Qui quia vnum ex primis est istius loci aditu visúque dignis, vel hîc demum ab alijs monitus indicare de eo non abs re fore putaui.